

dicrum visa sunt illa Nebula, & actorem plausu tanto prosequerantur: quanto nunquam antea, & clamore victoriam ei decreuerunt: mandaruntque iudicibus, ut Aristophanis nomen, non alterius, scriberent. Atque Drama fuit eiusmodi. Socrates verò raro veniebat in theatra: nisi quando Euripides Tragicus Poeta cum novis Tragediis certaret: tum enim accedere solebat. Et tunc quoque cum Euripides in Piræo contenderet, eò descendebat. Nam amabat hominem tum propter sapientiam, tum propter carminum virtutem & bonitatem. Aliquando tamen ipsam Alcibiades filius Clinia, & Critias filius Callaschri, ut Comœdias etiam in Theatro audiret, inuitarunt: & tantum non coegerunt. Verum ille non magni Comicos pendebat: sed egregie contemnebat (ut vir modestus; iustus, probus & sapiens) homines mendaces, iniuriosos & sani nihil dicentes: quod ipsos male habuit. Atque etiam hæc erant Aristophanis Comœdia seminaria: non solum ea, qua Anytus & Melitus suggesterant. Haud etiam vero dissimile est, Aristophanem magna pecunia ex hac re locupletatum fuisse. Nam, cum illi cuperent & omnino festinarent, Socratem calumniis & conuitiis proscindere: ipse verò pauper & scelerosus esset: quid absurdum sequatur, si statuamus eum argentum ob rem inhonestam, & maleficiosam cepisse? Sed de his ipse sibi conscius est. Consecutum est igitur Drama magnam gloriam. Etenim illud Cratini tum maxime verum erat: Theatrum male sana corda habebat: & quoniam Bacchanaliorum festum celebrabatur, magna multitudo Græcorum eò spectandi cupiditate, conflaxerat. Cum ergo circumferretur in scena Socrates & crebrò nominaretur (non mirum, si etiã visus in histrionum personis, nam figulos etiam pulchre eum persæpe expressisse constat). Peregrini, quis ille, qui in Comœdia traduceretur, esset, nescientes: susurrum & murmur excitabant: atque quisnam esset ille Socrates, interrogabant. Quod cum animaduertisset ille (etenim non fortè fortuna aderat: sed sciens se in Comœdia taxandum: sedebatque in opportuno loco Theatri) ad tollendam dubitationem ex animis peregrinorum surrexit, & per totum Drama, congregentibus histrionibus, stans cernebatur. Ad eò Socrates & istam Comœdiam & Athenienses nihili fecit.

Hactenus Ælianus, cuius integram narrationem huic libro inserere volumus, propterea quòd ea huic Comœdiæ non parum lucus afferat. Sed nos ista iam neque confirmare neque confutare institimus: hanc rem in alium locum rejicientes. Qui plura volunt in promptu habere pro defensione Socratis: hi legant Apologiam Socratis apud Platonem & Xenophontem, item Plutarchi lib. De Genio Socratis: & Appuleium de Deo Socratis. Nos ad argumentum fabulæ accedimus, quod tale est.

## ARGVMENTVM FABVLÆ.

**I**NTR O D U C I T Poeta quendam Strepsiadem, noctu diuque semetipsum torquentem, propter debita & es alienum, à fœneratoribus acceptum: in quod pater se causa filij, cui equos emerat, temerè coniecerit. Nam instante iam nouilunio, quo debita exigebantur, noctem iste insonnem habet. Quare accensa lucerna, sumtus & debita secum supputat: filium, qui equos & currus somniabat, è lecto excitat: orat, ut Philosophos, Socratem & Cherephontem adeat, & ab illis Sophisticam persuadendi artem addiscat. Sic enim fore, ut creditoribus imponat: & quòd pater nihil cuiquam debeat, illis persuadeat. At Phidippides (hoc enim nomen filio) rei equestris amore adductus, Philosophicum pallorem detestatur, patrique morem gerere recusat, & conditionem respuit. Quare, senex, omni spe, quam de filio conceperat, abiecta, ipsemet Socratem adire, & mentiendi artem, nulla ætatis ratione habita, perdiscere constituit. Non longè progressus, ad ostium Academix seu Lycei peruenit, atque hoc pulsat & Socratem quærit. Discipulus domo egrediens, cognita aduentus causa, exponit seni quædam arcana Socratis: sed ridicula: ut sunt, de dimensione saltus pulicum, de culcibus, ore ne an podice sonum edant, & similibus. Quas subtilitates homo rusticus primùm admiratur: deinde in Scholam introducit: vbi conspicius fortè globum cœlestem & terrestrem affabrè factum: nonnulla de sicu Urbium & Insularum, deque erudito puluere ridiculè docetur. Ibidem in calatho consistentem Socratem, quasi à terra submotum: & in sublimiori loco cœlum contemplantem, salutatur: causam aduentus exponit: doceri cupit: mercedem sanctè per Iouem promittit. Ille Iouis audito nomine, negat esse Iouem: & præter Nubes, nulla restare vsquam numina. Mox homi-